

Epístola aperta ad virum illustrem  
Dr. Ernestum Quesadam.

*Dr. Theophilus Wechsler amico Dri. E. Quesadae S. D. P*

Cum, iamdudum admirator tuae in litterarum et scientiarum cultu indefessae assiduitatis, nuper et hoc praeter expectationem comperissem te sodalem nostrum i. e. philologum classicum esse et satiricorum Persii et Juvenalis opera cum notis tuis in patrio sermone edidisse, tanto gaudio repletus sum, ut abstinere non possem, quin epistola tibi huius sodalitates causa maximam meam satisfactionem manifestarem. Laude veterum litterarum exsultans hoc addidi esse meo iudicio illum campum ingeniis selectis quasi secessum, procul negotiis et molestiis privatis vel publicis, ad puras mentis delicias hauriendas et in pulchritudine mitique sapientia antiquae litteraturae praecipue maturae vitae aetatem degere, ut ille eximius Romanorum vates et philosophus, qui beatitudinis summam posuit in clausula «oblitus meorum, obliviscendus et illis». In tanto autem oblivionis studio et laude res magni momenti memoriam meam fugerat: discrimen ingens interesse inter tuum et meum statum. Si ego, etsi aetate nondum tam proventus, propter infirmitatem omnia negotia utiliora deserere et studiis nec non deliciis litteraturae antiquae me totum dedere cogor, ut, Archimedis exemplo, ardore horum studiorum nec fractum illabi orbem istis nostris tristissimis temporibus sentiam; tu contra corporis viribus vicens, animo ardentissimo praeditus, patriam amatissimus, pristina fama gentis oneratus, idem facere atque ego non posses, nec fas esset.

Propterea te curae maiores publicarum rerum quiete frui non sinunt; at mihi parta quies omnisque in limine portus est non segnitate animi, sed adversitate fati; licet igitur involuntario otii frui et semper solamen est in rebus adversis otium cum dignitate degere posse. Tu autem, ut antiqui Stoici, virtutem nisi in actione videri non posse recte existimas et meum errorem in epistola tua correxisti vel in memoriam revocasti distinctionem, quam entusiasmo meorum gratissimorum studiorum oblitus eram.

Hanc ego opinionem viri boni eruditione pleni tam perfectam censeo, ut juventuti nostrae studiosae impertiri mei officii esse mihi videatur.

Nam semper nostrum gratum officium non solum in nutrimentum spiritus juventuti effundendo sed etiam in moribus emendandis et colendis cernebam. Itaque cum huius nostrae domus alumni aliquam contributionem ad eorum codicem scriptorum quae ad divulgandam scientiam edunt (*Revista del Centro Estudiantes de Filosofía y Letras*), a me peterent, nihil melius mihi visum est contribui posse quam hanc ad te, magister doctissime, epistolam apertam, ut videant juvenes tuam vitae rationem, labore indefesso et reipublicae utili plenam et imitari conentur neque nimis praemature otia quaerant, nequidem honesta, sed omnia studia strenuis viris ad publica commoda esse adhibenda sciant.

Attamen nollem ego sic intellegi ut, tua sententia persuasus, ad alterum extremum nunc transfugiam et in doctrinam nihil, in actione supremam legem et totam salutem videam. Minime. Vergilii illud «Felix qui potuit, etc.», invertere velle longe a me abest, sed hoc mente addendum ad poetae clarissima verba iuventuti suadere puto: extrema semper vitiosa, etiam nimia doctrina, propterea «mentem agitare molem» ejusdem auctoris non obliti, eam primum quidem bene instrui curent, sed postea, si nullo naturae obice, ut ego, impediuntur, utilitati publicae totam operam dent et in actione virtutem exerceant. Utilitatem vero maximam haec nostra studia humaniora tantum praebent ipsa, ut nullam disciplinam ingenium iuvenum ad vitam melius praeparari posse mihi quidem constat.

Efficit hoc praecipue factum, quia semper utili dulce miscet. Nullae aliae litteraturae quam graeca et romana tanta dul-

cedine et pulchitudine linguae omnia ad vitam bene constituendam praecepta melius docent et acutius exprimunt. Quo fit ut suavius in mentem penetrent et validius in medullis et viceribus haereant. Quod si nostri alumni talem humanitatem in nostro populo agresti divulgant et ex mercatoriis aliquos mercuriales viros fecerint, satis utiles cives reipublicae fuerint educationem per aestheticam et sapientiam classicam inferentes. Hoc latine scribo, ut, si non plus, lectio salten cum delectatione sit. Vale.

*Dr. Teófilo Wechsler.*

